

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechthildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XI. De evolatione ejus, est intra cor divinum ejus susceptione.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

## CAPUT XI.

DE EVOLUTIONE EJUS, ET INTRA COR DIVINUM EJUS SUSCEPTIONE.

I NSTANTE autem hora illa desiderantissima, cum jam omni humanitate exuta, et secundum optimum beneplacitum Dilecti sui perfecte composita, sponsa illa delicata de carcere carnis egressura foret ad thalamum Sponsi imperialis, exurgente Conventu a mensa, et prima Matre monasterii cum quibusdam circumstante, ecce facies infirmæ subito in quamdam suavissimam commutata blanditatem, certissimam internæ suavitatis efficientiam prætendebat; velut advenientes prædilectas sibi in Christo consorores, quas non poterat verbis, motu tamen oris et amicitate vultus suscipiens ad gratulandum sibi super ineffabilibus a Domino impensis sibi beneficiis invitaret. Tunc deliciis affluens Dominus majestatis, solus satians satietas animæ se amantis, sponsam suam lumine divinitatis circumfulgens, totam et perillustrans, ipse Cantor cantorum omnium, suavissima voce omnemque humanam capacitatem supergredienti melodia, Philomenæ suæ, quæ toties ei dulciter cantando, multo magis devota intentione quam sonoritate vocis, Cor ejus divinum allexerat in terris, vicem rependens intonabat: « *Venite vos, benedicti Patris mei, percipite regnum*, etc. commonefaciens eam doni illius prædignissimi, quo per octo annos in eisdem verbis Cor suum divinum donaverat sibi in pignus amoris et securitatis. Hinc blandissime ipsam salutando ait: « Et ubi est xenium meum <sup>1</sup> ? » Ad quod illa ambabus manibus cor suum ape-

Divinus  
cantor  
Philomenæ  
suæ vicem  
rependit.

1. Cf. Part. I. c. 20. II. c. 19. III. c. 37; item *Legatus*, lib. V. c. 4.

Xenium  
Cordis  
repetitur.

riens, contra Cor dilecti similiter contra se patefacti, et Dominus Cor suum sanctissimum cordi illius applicans, totam eam suæ divinitatis virtute absorptam, gloriæ suæ sociavit. Ubi memor memorum suorum, saltem continua stillicidia de superabundantia deliciarum suarum præcibus suis sanctis nobis obtineat apud eum, cum quo unus spiritus effecta, exultabit in æternum. Amen.

---

## CAPUT XII.

### DE GAUDIO ET AUGMENTO MERITI SANCTORUM.

POST hæc, cum commemoratio more solito fieret pro defuncta, apparuit Dominus in majestate suæ gloriæ sedens, et animam defunctæ in sinu suo suavissime repaudentem blandissime delicare. Et dum legeretur: *Subvenite Sancti Dei, succurrite ante Dominum, suscipientes animam ejus*, Angeli cum magna reverentia exurgentes, quoniam eam suscipere necesse non habebant, quam tanta Domini sui dignatione videbant honorifice susceptam et tam magnifice honoratam, coram Domino genua flectentes, ad instar Principum ab Imperatore prædia honorum suorum suscipientium, receperunt merita sua, quæ pridie obtulerant in augmentum meriti dilectæ Christi, quasi ex meritis ejus duplicatâ et mirifice nobilitata. Similiter singuli Sanctorum sigillatim faciebant in Litania ad invocationem nominis sui. Tunc illa quæ hæc videbat<sup>1</sup>, commonuit animam ut oraret pro defectu singulorum specialium amicorum suorum, eo

1. nempe sancta Gertrudis.